

QVÆDAM RATIONUM PONDERA PRO  
POSITIVA ET REALI

QUALITATUM  
PHYSICARUM,

In spherâ naturali existentia; quibus accesserunt  
secus consentium potiores opiniones.

*Quod*

AUSPICIO DIVINO

*consensu & decreto Amplissime Facultatis  
Philosophicæ, in Regiâ ac inclytâ Academiâ*

*Aboensi,*

SUB PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI

In, Mag. PETRI HAHN,

prænominato Musarum Palladio Physices  
Professoris Ordin: & Bibliothec: dexterrimi, Præ-  
ceptoris & Promotoris gratissimâ memoriâ  
etatem colendi,

Liberalis Exercitii gratiâ

*publico sobrie Philosophantium examini, modestiâ  
quâ par est, submittit & offert.*

*Al. Reg.*

IOHANNES M. AGRELL

Wex: Smol:

atribe Maximâ Die 15 Decemb. Anni restitutæ  
gratiæ nonagesimi quarti supra mille-  
simum & sexcentissimum,

**Dn. GUDMUNDO M.ERLANDO D**  
**Höök / Acad. Abo-** **SELIO, Pastori**  
**ensis Quæstori fidelissi-** **clesiarum Junecop**  
**mo, Fautori ac Bene-** **& Åungarumensi**  
**factori perpetuo cultu** **guissimo nec non**  
**prosequendo.** **strictus Eveta Pr**  
**sito gravissimo.)**

**M. PETRO Hagel Dn. NICOLAO St**  
**berg Ecclesiarum Cos-** **Primario nitriaræ**  
**ternd & Byarum Pa-** **Smolandiam &**  
**stori meritissimo, Terri-** **strogoth inspectori**  
**torii ösboensis præposi-** **industrio olim m**  
**to vigilantissimo, Fau-** **tio suo nunquam**  
**tori & Evergetæ mul-** **amando.**  
**tum honorando.**

**M. ERLANDO COL Dn. JONÆ SVALA**  
**LIANDRO, in Åsbe-** **DRO, in Åter & S**  
**da / Pastori & proposito** **stio / Pastori Vigi**  
**fidelissimo, olim præ-** **tissimo, Fautori ac**  
**ceptoris suo jugiter colen-** **nefactori multis n**  
**do,** **nibus honorando.**

Dn. ZACHARIÆ ME-  
LOVIO, Ecclesiarum  
in Fryelöf & Hagshule  
Pastori longe meritissi-  
mo.

Dn. LAURENTIO  
KROKIO in Berna  
mo Pastori fidelissimo  
Fautori singulariter ho-  
norando.

Dn. MATTHIÆ O-  
LAI, Legionis scribæ  
perindustrius, nutritio  
& amico singulari.

Dn. ZACHARIA  
COLLANDRO, in  
senhögga Pastori Vigilan-  
tissimo.

Dn. JOHANNI Dräf-  
ling/Territoriorū Ösbo-  
ensis & Wesboensis  
Prætori accuratissimo  
Amico sincero.

Dn. ERICO Erling,  
Westigalium in Tena  
la ad Hanzcudd præfe-  
cto Solertissimo.

Dn. NICOLAO Ju-  
german Commin. in  
Åker & Ridsjö fide-  
lissimo, Fautori & a-  
mico honorando.

Dn. GABRIELI Ha-  
gelman in Åsenhög  
V. D. Comministro fi-  
delissimo Fautori &  
amico singulari,

**B**eneficia Vestra, Mæcen, Patroni Promot. & Faut.  
mei Opt. quorum maximus ab ipsis Cunabulis  
mihi accessit cumulus, eximia plane & nunquam  
satis laudanda, breviter hic explicare non  
possum, cum tanta tamque multifaria sint, ut,  
cet marmorea gratitudinis exstructa fuerit statua,  
amen ea Verbis Convenientibus non inscribi nec il-  
lic deprædicari possint, multo minus una pagella  
comprehendi. Ne igitur indignemini quod au-  
tem Vestris Nominibus rudi & cruda Minerva deco-  
ras has lineolas inscribere. Sed admittite quæso  
sereno vultu hæc qualescunque cogitationum mea-  
rum Specimen, quod tanquam Levidense signum  
immæ meæ in Vos obligationis & gratissimi a-  
nimi offero, meæque Spes prope afflictas pro so-  
to erga omnes in studiis occupatos favore, beni-  
gno animo sublevate! Et sic Valebitis diu incolu-  
tes, felices Reip. Ecclesiæ, Vobis, Vestris! quod  
ovebit.

[ Vest, Nom.

*additissimus*

JOH. AGRELL.

*Disp. Aut.*

DOCTRINA PRORSUS LAUDABILI

nec non

*Virtutibus eximiis commendatissimo*

VIRO JUVENI

Dn. JOHANNI AGRELL

amico suo diu probatissimo, dum Disputati-  
onem proprio Marte docte elabora-  
tam egregie defenderet.

GRATULATIO.

**U**T solet irriguis mage Palma vireſcere in hortis  
Conteritur plantis, quo magis illa pedum;  
Sic magis atq; magis, revireſcit pondere virtus,  
Et mire conſtans in probitate manet;  
Continuo morbis, A G R E L vexatur, at inde  
Vis ſua judicii, non temerata fuit, ]  
Nunc igitur vires Naturæ edifferit amplas,  
Et quærit mentis nobilioris opes.  
Hoc ipſo obſtringit ſibi grato munere Muſas,  
Et quotquot Phœbo gens operata ſumus.  
Maſte tuis ſtudiis A G R E L, doctasque Camænas  
Dilige, Nam veniunt præmia digna brevi,  
Atque ubi ſera manus tibi Parca injecerit atras  
Parca in cordatos non ſatis æqua viros,  
Non totus moriere tamen, poſt funera vives,  
Laude ſuper terris, ſpiritu apud ſuperos.

JONAS MOLLIN.

Eidem:

JOANNES M. AGRELL,

Re, ille nos magna vel: Ager, mille annos.  
Syllogismo Anagrammatico Eteosticho.

QV, spretis aliis, Studiis noctesque diesque  
Sæculus invigilat; Re Nos magna ille sat ipse  
Edocet: Atqui AGRELL, mi vere & candidè  
amice,

Quis Studiis animum, mage quam Tu, intenderat  
unquam,

Qui, semper fugiens mala desidis otia vite,  
Adsiduo incubuisti operi, indefessus agendo,

Hoc πολυεργότατον reputando semper ubique:  
Non jacet in molli veneranda Scientia lecto.

Ergo, quid mirum est, si, ex Te, nos magna, JO-  
ANNES,

Speramus; cum & spem sat docta hæc pagina firmet,  
Quam, satis Egregie conscriptam, rite tueris.

Macte tua hac Virtute, AGRELL, sic itur ad astra.  
Crede mihi, hic Virtutis ager nunquam sterilefcet,

Si vel mille annos fuerit sine sine subactus.

QUOD reliquum est: VoVeo, Ut ViVas hic Nestoris  
annos!

AC superis SulaVe & rlllLlUM stes sIDUs In aXe!

QUoDque, In, & eX anImo, VoVeo:  
& felICia qUæque!

JOHANNES HELINUS  
Wex: Smol.



## Jehova Meum Auxilium

## §. I.



T Seriem Romanæ Historiæ arctis compagibus inclusam, clypeoque insculptam, crebrâ cogitatione digerens, teste Virgilio, miratur Æneas, rerumq̄ ignarus imagine gaudet; ita neminem tam insensatæ mentis esse putamus, cui Divini Numinis Trinunius providentiam & in organis Naturæ vere harmonicis dispositum adaptatumq̄; opificium penitus consideranti, non summa injiciatur admiratio! Condiderat mundi Architectus, juxta quandam ichnographiam, hunc mundum, perpetuis quibusdam mutationis legibus constantissimum, & astralia quidem mundi corpora, uti perpetuâ quadam & indefessa vertigine, ita & mundum Elementarem perpetuâ Elementorum pericycloi, cum incessabili quodam conflictu, qualitatumque contrariarum antitechnia conservare sibi

complacuit. In quarum indolem inquisi-  
turi, nullum in universâ naturali phi-  
losophia, argumentum æque contro-  
versum, tot tantisque digladiantium  
pugnis & certaminibus expositum,  
tot differentium opinionum monstris  
fœcundum deprehendimus, ac illud de  
qualitatibus corporum Nat. Ut proin-  
de hærens nobis animus vereatur, nè  
tanta controversiarum diversitas, nos  
rerum ignaros in errorum charybdi  
præcipitet, & alta scrutantes ad ima pro-  
sternat. Ideoque premendum potius  
hoc *Eridis* pomum, quam tangendum.  
Quia tamen abdita quæque delectatio-  
nem ut plurimum pariant, quam instan-  
tissime incitatur, ut in jucundissimo  
qualitatum campo versantes ad speculæ  
& contemplatione dulcissima, pasca-  
mus oculos pariter & animum, certo  
certiores, neminem dicturum nos ex-  
tra debitum dissertationis scopum di-  
vagari; si, priusquam instrumento Lo-  
gico recessus qualitatum Cor. Nat. ad  
aperiendos invadamus, in limine hu-  
jus discursus, pauca haud contemnen-  
di roboris momenta, earundem exi-  
stentiam adstruentia, præmitteremus.

Hoc



Hoc enim usu receptum est, in scho-  
lis accuratius philosophantium, ut  
quæstio  $\eta\delta\ \delta\eta\iota$ , teste Philosophorum  
phosphoro, præcedat quæstionem  $\eta\delta\ \delta\iota\delta\eta\iota$ ;  
frustra namque alicui rei opera  
impenditur, ubi num existat in rerum  
Naturâ nec ne, extra dubitationis ale-  
am non est situm.

§. II.

**I**N frontispicio argumentum proin-  
de hoc alto pectoris scrutinio dispi-  
cienti & ponderanti constabit, quod  
Deus inenarrabili quâdam sapientia,  
in omnibus Organis naturæ, tum ad ob-  
lectamentum, tum ad œconomicum  
usum qualitates deposuerit, iisque su-  
am indolem assignaverit. Qualita-  
tes, quas nos in corporibus rationis  
indagine venamur, non sunt *Ens ra-  
tionis*, utpote quæ *primo* verè & realiter,  
per modum accidentis, substantiis, fi-  
nitis & creatis omnibus immersæ in-  
hærent, etiam nullo hominum atten-  
dente. *secundo*: quo minus sint *Ens  
rationis* prohibet id ejus *quidditas*,  
quæ nec subsistentiam nec inexisten-  
tiam includit, quibus omne scibile phi-  
losophicum nititur. Verum enim ve-

rò non iure qualitatibus *inexistentia*  
*modalis* tribuitur: hanc nec esse *ens*  
*proprie & strictè sic dictum*; nemo, cui  
sanum sinciput, sine insigni stultitiæ no-  
tâ audebit inficiari. Ens enim varii  
comitantur & sequuntur modi, qui  
si Entitatem incluserint, suos haberent  
modos entitativos & sic via processi  
sterneretur in infinitum, à quo abhor-  
ret natura. *deinde*: rigoroſe loquendo,  
è censu accidentium exterminanda est,  
nam non per modum accidentis sub-  
stantiam afficit: sed qualitatibus inhx-  
rentia *entitativa*, non *respectiva*, sed *ab-*  
*soluta* vindicabitur. Ostendit denique  
Veterum Philosophorū, huic sententiæ  
suffragantium, & calculum haud ni-  
grum addentium, consentiens adpro-  
batio, qualitates, ut essentiam negati-  
vam sileam, neque privativi Entis na-  
turam redolere, idque præcipuè ab e-  
jus *formali ratione*, quæ dicit absentiam  
rei positivæ in subiecto cui vel inerat,  
vel per naturæ convenientiam inesse  
debit. Qualitatum autem vis Corpo-  
ra Natur. perficit, faciendo ea tam  
simplicia quam mixta, cum formis sub-  
stantialibus scibilia, eorumque notio-

nes in sensus incurrere: Nec minus ea  
 instruit & ornat, quam peristylia & ti-  
 gna, quibus structura illustrium pala-  
 tiorum innititur. Ut illis labantibus,  
 ædificia collabascere necessum ha-  
 bent; sic sine inexistentibus qualitati-  
 bus, opificia corporum naturalium la-  
 bascunt & in momento pereunt. *Ul-  
 timo;* nec Qualitates reponuntur in nu-  
 mero eorum entium, quæ in se nihil re-  
 alitatis habent, *preter esse cognitū*, quo-  
 ad *Conceptum objectivum statumque ide-  
 alem*, licet quo ad *statum fundamētalem*,  
 rei alicujus cognitionem consequan-  
 tur, & realitatem ponant, per quam  
 ansa menti exhibetur, ut talem conce-  
 ptum fabricet, de quo hujusmodi Entia  
 oriantur, qualia *Rationis, Entia conse-  
 quenter*, sunt Relationes Rationis,  
 Notiones secundæ, seu technica Voca-  
 bula, Grammat. Rhet. Log. Qualita-  
 tates autem hujusmodi Entium indo-  
 lem non sapere, statuminandi nulla e-  
 rit difficultas, præprimis ex descriptione  
 hujusmodi Entium, quæ in & per se ni-  
 hil habent præter esse objectivum, cum  
 fundamine tamen in re describuntur.  
 His proinde præsuppositis, radius sola-

ribus clarius est, qualitatum sphaeram, non tantum quoad *Conceptum objectivum*, sed & *statum fundamentalem* in reali existentiae cardine & axe positivo, vero Circumrotari, veritate, puta physica, quae Conformitatem rei cum divino intellectu involvit; nam ex Ordinatione divinam jam inde a rerum primordiis in corporibus Naturalibus per modum potentiae naturalis sunt radicatae atque impressae.

§. III.

Priusquam vero definitio hujus in re literariae maxime utilis & necessaria materiei proferatur, *ratio nominis*, recte positae calculis, est nobis ineunda, incepta calculatione ab hujus *vocis etymo*, de quo ut multis sumus solliciti non est opus, cum in ejus rationem tum imprimis inquiritur, cum impositio nominis haud facile cuivis sit obvia. non enim est recens a Philosophis inventa vox, nec ab iisdem a novo & vulgari usu discrepante significatione vestita, sed ejusdem valoris apud Philosophos, ac in famigeratissimis Philologorum scholis, qualitas est. Qui terminus nullam affinitatem alit cum ali-

qua voce Latinis domi nata & educata, quoad significationem, nedum cum peregrinis lingvis ratione derivationis, unde synonymum argumento huic illustrando competens adinveniat. Ideo Etymologiae & synonymiae enodatione omiffa, homonymiae intricatissimo ambiguitatis & deceptionis involucro aliquantisper inhærebimus, cujus obscuritates nisi tollantur in antecessum, ut tutus fiat progressus, necesse est omnem nostram in accuratioribus operam esse errationem, & discursum hunc nostrum, non super rebus, sed nominibus, institui. Una ergo ceu potior, cæteris seclusis, qualitatis acceptio, nostro instituto sufficiens nobis reservabitur, nempe nostrum negotium est de qualitate generaliter accepta, & substantiæ contradistincta, prout primario Corp. Nat. competit, ceu propria & proportionata affectio.

§. IV.

Cum jam his Præmissis cuilibet, nisi oculos in calcaneo gestanti, maxime conspicuum sit, argumentum circa quod, ad rationis scrutinium revocatum in præsentem occupati sumus, Ob-



jecti scibilis & necessarii indolem, atque sic realitatem essentiis positivamque existentiam habere, non vero naturam non. Entium sapere, quorum, quocumque tandem veniant nomine, nullæ sunt scientiæ: itaque non de renuanci acturi, ad Præmonita & exempla subactioris ingenii Philosophorum, ne ante positum ovum immaturus excludatur foetus, ipsius definitionis structuram ceu certam ad qualitatatum adyta referenda rationem manudente eruditissimo Sperlingio, condimus talem: *Qualitas est affectio intrinseca Corp. Nat. quâ illud est potens ad agendum & patiendum.* Dicendum est hic: posse quidem admitti aliam definitionem, si melior detur, sed hanc retineri, tum quia melior vix habetur, tum etiam, quia Physicus qualicumque descriptione, pro suo instituto, contentus sit. Manu igitur & verbis nos contra omnia eorum rationum pondera confirmamus, qui genuinam & unicam illam Veritatem Philosophicam, per Logicam, tamquam contentionis sarram & tenebrarum artificium, obscuratum iri protestantur, quæ tamen



namen apud omnes eruditas gentes non solum est eadem sed & in omni sciendi genere maxime necessaria habita est, & utilem modum veritatis inveniendæ subministrat. Ex adverso, quanto majori nisu absque subsidio Logico veritatem degustasse existimarunt sceptici, tanto longius ab insigni Veritatis Centro declinarunt, & doctrinas non veras, sed vanas & falsas, imo ipsas mangonum imposturas aliis commendarunt.

§. V.

JAM necessitas rei & ratio instituti nullis absque ambagibus ad *πραγματολογίας*, seu rei ipsius definitionem ut pedem promoveamus monet, quæ duplici constat conceptu, *Communi* seu *Convenientia*, & *restringenti* seu *disconvenientia*; Per quos, ob cæcitatem intellectus, de rebus in operibus cæu speculo adumbratis, ratiocinamur: quibus sine jejuna est atque exsangvis totius definitionis ratio. Ponitur vero generis loco affectio; quippe omnes qualitates communiter sub divisione in activas & passivas continentur, & cum inter has, quæ easdem semper in genere operationes retinent, certum discri-

men constitui nequeat, remaneat, ut referantur & definiantur, per conceptum quendam convenientem, quem qualitas habet eundem una cum quantitate, quæ sunt quasi species univocæ, sub eodem genere contentæ: quod bini hi termini *affectio intrinseca* conspectui & mentis scrutinio sistunt. Quorum theoria, ut accuratius traditæ definitionis præteritum indagemus, convenienter postulat. Ut ergo Qualitatem esse affectionem intrinsecam extra dubitationis periculum ponatur: Hic *intrinsecum* ex obscuritatis involucris evolvendum est. Dicitur intrinsecum, primo illud quod essentiam suppositi non secus ac pars *ουσαλιῶς* Constituit, secundo, ratione subjecti, sub vocis intrinsecæ causis tegitur, quicquid ipsi inest subjecto, non tamen est ejus pars, unde quod est intrinsecum, ratione subjecti, non protinus est internum, per *τιν ἑσῖαν*; prior sensus *affectioni intrinseca* competit, quia *ουσαλιῶς* Corpus naturale non permeat, ceu altera pars ad constitutionem essentialem rei. Nam ut materiam quantitas & extensio insequitur, sic formam qualitas & inter-

intensio concomitantur. Et ut forma & materia partes essentielles constituentes, ejusdem sunt convenientiæ, ut utraqve influxum constitutivum importent, ad intrinsecam *essentiam*; ita quantitas & qualitas earum proles; illa, ne plane sit otiosa, ad minimum, suam activitatem habet, per nudam resultantiam, hæc autem per modum potentiae activationis, quæ in Corporibus actioni & passioni sufficit.

§. VI.

Conceptum disconvenientiæ, seu restringentem, absolvunt voces cæteræ sequentibus in definitione Verbis expressæ, qui conceptus desumitur à subjecto & fine, subjectum *quod* seu denominationis repræsentant corpora naturalia, tam simplicia, quam mixta, in quibus qualitates, velut aureum Cleodidum, continentur, quo ut pretiosissimo ea ornavit Creator. Quo vero seu radicale & proximum, sunt corporum simplicium seu mixtorum formæ. Illo sensu totum suppositum operationum esse fundamentum, ex parte conceditur digitis, hoc non item. Porro, his ita præsuppositis, non  
quec

quæ non afferre insuper ad statum-  
mandam formæ substantialis existenti-  
am, fundamenta ex Script. 3. gazâ col-  
lecta, titivilitii habitis, quæ excipiunt,  
sacram paginam auctoritati Philosophiæ  
ereptâ contendentes, quippe sicut Deus  
naturæ autor eidem non est contrari-  
us, ita nec ipsius verbum illi contra-  
rium est, contraietate vera. Sacræ igi-  
tur pandectæ Pro nostrâ ratione fir-  
manda, sequentia suppeditant pondera,  
Gen. 6. v. 17. Perdam omnem car-  
nem, in qua רוח חיים hoc est,  
Spiritus vitarum, & cap. 7. v. 22.  
כל אשר נשמת רוח חיים באפו  
quæ momenta satis superque confir-  
mant animalibus brutis, plantis, & o-  
mnibus corporibus aliis æque ac homi-  
nibus inesse animam substantialem,  
quæ alio nomine juxta modum lo-  
quendi Philosophis usureceptum, nun-  
cupatur Forma, quæ uti substantia est  
utique non immediatum suarum acti-  
onum principium. Disquirimus ergo  
ita: substantiæ agunt, ergo vel per se-  
ipsas immediate, absque beneficio ac-  
cidentis, vel mediate, ministerio acci-  
dentium. At vero Deus solus imme-  
diate

diate suas operationes exerit, in quem,  
cum nullam plane agnoscat compositi-  
onem, nulla etiam cadunt accidentia,  
remoto itaque accidente, & tamen  
concessâ actione, ibi ipsa substantia im-  
mediate operetur necesse est. Sub-  
stantiæ autem finitæ creatæ quia sunt  
compositæ, immediate absque benefi-  
cio accidentium actionibus subsistere  
nequeunt. Et sic quia omne corpus agit  
vel patitur & omne corpus est quale, &  
per consequens qualitas erit corporis  
naturalis, ut talis, generalis affectio. Fi-  
nem declarat omnium qualitatum ma-  
nus, quo actionibus & passionibus in-  
serviant. Universalibus igitur qualita-  
tibus generales, particularibus singu-  
lares actiones & passiones accen-  
sentur. Latet in humanâ mente veri-  
tatis cognoscendæ cælitus ei inditus, ne-  
scio quis, igniculus, quo semel accensa  
agitataque, nullâ quiete frui potest do-  
nec id, ad quod tanto fertur desiderio,  
tandem pertingat: itaque destituta  
vento secundo, vela obliquare neces-  
sarium habet, hærendo circa accidentia  
ceu corticem, cum nucleum non inve-  
niat, id est, dum fugit eam ipsa for-  
ma



marum cognitio: Uberiorem huic definitioni enodationem subnectere dissuadet studiū brevitatis & ratio temporis, cujus avaritia tantum est honesta.

§, VII.

**H**is, ut confidimus, satis demonstratur & infallibili certitudine evincitur, omnibus corporibus naturalibus inesse qualitatem; cum clareat totam naturam, in qua nihil est otiosum, non nisi ope accidentium, efficacem esse posse; hæc autem non sunt *quantitates*, ut facile cuilibet, rem acriori mentis indagine cingenti, inclarescit profluunt à scaturigine quadam principii passivi, adeoque non sunt activæ: sed *qualitates*; quæ ab activo principio emanant, quod radicale qualitatum actuosarum forma est, non extra materiam, sed in materiâ si materialis est. Evidentissimum etiam de qualitatibus testimoniū exhibent sensuum judicia, quorum examini eas qui non subjiciunt, temeritati obnoxii videntur, nam ut ut ab iis tanquam fallacibus, adversarii contrariam foventes sententiam dicant omnes opiniones de rebus cognoscibilibus & speculativis vel aliunde

de



de haustas, tam diu ex animo dimo-  
vendas, imo falsas esse fingendas, do-  
nec singulæ post diligens examen, post-  
liminio quasi recipiantur: dicimus ta-  
men nos sensus, in quos qualitates ex  
omnibus accidentibus maxime incur-  
runt, non circa investigationem veri-  
tatis naturalis accuratam, quæ operâ  
sensus & intellectus conjunctim acqui-  
ritur, sed juxta nudum rerum intui-  
tum, nudam perceptionem, sepositâ  
ulteriori disquisitione, medium con-  
templativum sensuale esse, ideoque eo-  
rum ministerium, ad veritatem inda-  
gandam, primario requiri velimus. *De-  
inde*, si sensuum ope nihil opus esset  
ad faciendam fidem, in Naturalium in-  
dagatione, quam frustra homines, ni-  
miæ & intempestivæ sollicitudini de-  
diti à Sp. S. remittuntur ad gramina  
& volatilia cœli, ad ea oculos dirigen-  
dos ivadente, ut vacent ab inutili illâ  
craftinæ diæ curâ, cur non statim a-  
mandantur ad cognitionis vim & in-  
tellectus virtutem? sed novit ille in-  
exhaustæ sapientiæ fons, hominem non  
facile rei assentiri, nisi per sensus actu-  
ale experimentum doctus fuerit de  
ipsâ

ipsa rei veritate. Horum igitur iudicium & argumentum repudiare non tam error, quam stupor esset. Utpote qui ad cognoscentem facultatem vergunt & ad rerum sensibilibium, utpote qualitatum, cognitionem vel manu ducunt. Itaque in harum naturam paucis inquirere, operæ erit pretium; dispendendo eas, duce Sperlingio, primo per se & sua naturâ in activas & passivas, quarum utraque est vel realis vel intentionalis.

§. VIII.

**P**rimum momentum divisionis nostræ occupant Qualitates activæ, quibus corpora naturalia intime sibi indigent, effectus suæ speciei producunt convenientes; has ubique locorum deprehendi, certum est. Quam enim late se diffundit formarum specificarum ambitus, tam late dimanat qualitatum rivulus. Nulla species non operosa, non suas tacent qualitates astræ, in hæc inferiora insigni & maxima virtute agentia. Sic juxta sapientissimi Dei consilium ad conservationem & productionem rerum, Sol calore corpora mundi foecundat, licet subjective & formaliter non sit calidus.

Luna

Luna ex uberibus suis succos cujusdam humidi generativi instillat; reliqua sidera partitis officiis large communicare suarum dotium vires solent, Quod sol æstu suo velut exsiccat, id luna refrigerio quodam restaurat, humorisque beneficiis emollit, aliaque astra benigna interpolatione concoquunt & fovent. Communis quoque hodie est sententia doctorum, varium situm Lunæ, maris parere æstum, quod videmus in suo motu eandem cum Lunâ, temporis proportionem servare. Quæ omnia ex insita quadam vi, quam Qualitatem dicimus, fiunt. Elementis naturali magnetismo orbem terrarum componentibus, super certa & immobili basi fundatis, suas denegare Qualitates, est, rationi & quotidianæ experientiæ, manifestum bellum inferre: nam cum corporis tangibilis & generabilis principia esse debeant, nullaque substantia sit, quæ non iis constet, de eorum virtute participet, indeque velut ex fonte operationes magneticas, *Attractionis, repulsionis, assimilationis, situationis, communicationis* deducat hauriatque; certas etiam Qua-

litas maxime manifestas, quibus nobis innotescant patefiantque, in se invicem agant, & ad omnem mixtionem efficiendam idonea sint, obtineant, necesse est. Hæ corporum mixtorum generationis & corruptionis causa sunt: quodlibet enim mixtum ex inimicis irreconciliabilibus, planè inæqualiter concurrentibus conflatum est, quæ ex qualitatibus ortum ducunt. Efficaciorum actuositatem in Corporibus habent, faciliusque ea mutant & magis certatim agunt, quo calor actuosior ad vitam & generationem, prout calidum innatum ab eo plus vel minus participat: frigus vero ad mortem & corruptionem. Præter hæc quatuor qualitatum symbola, Elementorum numerum quaternarium experimentia, quæ Elementis assignantur, solent innumeras alias Qualitates ut duritiem & mollitiem, ariditatem, & lubricitatem, lentorem & friabilitatem, &c. convasare, verum hæ non tam Elementis, quam Elementatis insunt. Itaque de his, quæ dicenda essent, publico discursui reservamus.

## §. IX.

**M**omentum secundum sincerâ fide tentabit, potentias ob rerum varietatem passivas promulgare, quod brevibus absolvetur, dicendo: illi in vasta recipiuntur errorum tesqua, multisque tortuosis anfractuum tricis implexa, qui rationum nostrarum vim & veritatē infringunt, quibus & nobis statuitur omnes qualitates elementorū maxime esse activas: atque sic errasse nimium efferate nimis tumultuantes Aristotelis jurati satellites, qui humiditatem & siccitatem passionibus annumerarunt, nam si sensus ad iudicium adhibeatur, rem cuiusvis justâ mentis trutina pensitanti comparebit; omnes qualitates primas esse maxime activas: quatenus scilicet sui speciem imprimunt in sensorium, quæ enim actio omni debetur sensibili. Ex his omnis-Contrarietas; unde intensio & remissio inter eas admittitur, non per se & ratione essentiæ, quæ uno modo in definitione exponitur, sed Per accidens, ratione subjecti, cui inhaerent. Per plurima tamen corpora aptitudine quadam gaudent ad passiones & varias



mutationes induendas. Hujusmodi dispositio sulphuri τῷ πεπυρωμένῳ, quod maxime inflammabile est, inhæret. Hoc si careremus, flammâ & omni fermè igne destitueremur. Materiæ combustili si non inesset sulphur, nec calefactioni, nec coctioni inserviret. Quo itaque sulphuris copia ditior, eo ad ignem concipiendum est facilior. Sic in montibus ignivomis sulphuris & bituminis maxima copia, è visceribus terræ ad eorum summitatem, expulsa, longo incendio sufficit. Verum sale ipsum sulphur superante non nisi difficulter ab igne excipitur. Idem de oleo esto dictum. Quibus corporibus si experientiam artis spagyricæ, rerumque naturalium indolem candida mente examinare velimus, deprehendemus terraqueum Orbem undiquaque fore repletum, nec ullum uspiam inveniri locum, quem horum balsamum non occupaverit. Quod vero operationes in hujusmodi corporibus sint intentiores & remissiores, fit id ob materiæ habilitatem: Nam, *receptivum*, inquit subtilitatis Magister Scaliger, *recipit non per modum imprimantis, sed per modum suæ receptivitatis.* §. X. Absq.



**A**bsque præjudicio infantia, qualitatibus, vim agendi & patiendi, cum aliud in totâ accidentium serie nullum excogitari, nedum nominari queat principium, suis formis permutuas operas tam communicabile, ac qualitates, inconcussa ratione contra adversarios admetimur; quos ignorantia formæ substantialis, quam nihil aliud esse asserunt, nisi complexionem certorum quinque accidentium modorum, ex tali vel tali materiae combinatione exsurgentium, eo adigit, ut omnia, quæ de Qualitatibus formæ superstructis, dicuntur, pro commento fabuloso, fictitio, & ceu in angustia cerebelli nostri tantum excogitato Ente habeant. Unde statuminant: aquam, cum liquida sit, ad calorem & frigus esse indifferentem, nec uni magis, quam alteri subjectam; quia indole sua majoris vel minoris agitationis est receptiva, quo accidit: ut calida, & frigida sentiatur. Verum enim aquam, cui cum ab igne calefactæ innatus sit genius, quo paulatim ad frigus propendeat, & idonea quæ ejus natura

euram sua sponte induat, summe ge-  
lidam, & frigefactionem primariam  
frigoris actionem esse tam certum,  
quam quod certissimum est. Consi-  
mili ratione autumat Cartesius, male  
concludi ignem esse calidæ naturæ,  
quod ad eum calefiamus, fallique sen-  
sus, inquit, & mortales per eos, quibus  
natura sensum dedit, non ut per eum,  
essentiæ alicujus recessum penetrare  
possint, sed ut tantum ostendant, quid  
amplectendum, quidve fugiendum sit.  
Sed cum forma immediate effectus  
suos non producat, sequiturq; ergo in-  
fallibiliter aliud supponendum esse  
principium, à quo dictæ operationes,  
nempe frigefactio & calefactio fluunt  
& promanant. Omnis enim operatio  
actu præsupponit causam, actuali &  
positiva existentia gaudentem. Nam u-  
bi evidenti experientia cernitur pro-  
prietas rei, seu, proprium accidens, ibi  
quoque adesse ipsum subjectum, ne-  
cesse est, à quo illud inesse dependet,  
illud vero aliud esse nequit, quam cor-  
pora naturalia. Dicimus proporro,  
integra veritate, in his omnibus, quam  
facile dixerit, tam facile erraverit Car-  
tesius

refius cum sensus ad præcise forman-  
dum, de qualitatibus Elementaribus  
judicium, fideles iudices esse non sen-  
ferit, quorum testationem ad res præ-  
portionatorum, & in cognoscenda  
Objecti indole primum officium exhi-  
bentium falsam non esse, nec verita-  
tem objectorum immediate ab intel-  
lectu posse peti, prætermisiss & neg-  
lectis sensibus.

§. XI.

**Q**Uoniam ex superius adductis præ-  
gnantibus rationum momentis,  
sufficenter evictum est, omnino  
dari accidentia realia, Qualitates à  
nobis vocata, quæ, ut in primordiis re-  
rum, isti chaos, fœcundo rerum o-  
mnium seminario, radicaliter insita e-  
rant, & per intimos ejus recessus dif-  
fusa, ita post singulorum productio-  
nem miro conjugio formis desponsa-  
bantur. Et quamdiu hæ vigent, tam  
diu accidentia hæc in natura perstant;  
eadem prælixiori rationum serie evi-  
dentiora non redderemus, nisi non-  
nullas adversariorum procellas ea fes-  
sire, & suis quatere atietibus, depre-  
henderemus, consentium talpâ cæcio-

res esse, qui opinionibus in scholis receptis ad stipulando ad qualitates reales recurrunt ut naturæ effectus exponantur, & illa velut immediata actionum physicarum principia constituentur. Idcirco contra eorum dogmata, pro destruendis qualitatibus realibus, ab illis elaborata, & judicia erroribus fluctuantia, nostra principia, ne sua sponte dimoveantur, fundamenta his superstructa, firmissimo septum imus munimēto. Doctrina ergo accidentium realium maxime est necessaria; & nisi Elementa his dotibus instructa essent contrariis, quibus discordem concordiam affectant, essent hic siccitas humor, calor & frigus mere intentionalia. Has affectiones Elementa nunquam deponunt, nec à suis subjectis tanquam propriis incubabulis, salva manente essentia, unquam separari possunt. Idem de gravibus & levibus esto dictum, quæ virtute sibi impressa, sursum & deorsum motrice pollent, cui natura *gravitationis & levitationis* sociali fœdere & conjugio indissolubili juncta est.

**H**inc fatentur Adversarii, titillante rerum novarum dulcedine allecti, se non posse percipere quare qualitates reales, quæ sanæ Philosophiæ repugnare videntur, tanto conamine ab Aristotelicis introducantur, cum nemo unquã possit percipere unam rem, ab alterâ, cui inhæret, distinctam, & nullam tamen existentiam nisi dependenter ab ea habere; unde hanc sibi formant sententiam veritati rectæque rationi non consonam. Quicquid reale est, aptitudinalitatem involvere ut existat, ac proinde substantiam esse; pro qua inventione sic argumentantur: *quicquid clare, & distincte cognoscitur, illud verum est, atqui clare & distincte intelligimus accidens esse Ens reale, & posse independentem à subiecto existere. E. accidens substantia est dicendum, cum nihil aliud in conceptu substantiæ includatur.* Majus enim argumentum adferri non potest ad probandum duo Entia esse eadem, quã dicere unam definitionem iis competere; hæc illi. Verum hanc objectionem solve-  
re, non est ut puto ire per extensum fu-



nem, nos enim modum existendi qualitatibus realibus, beneficio corporum naturalium, competere, facile concedimus. Quibus adcuratori scrutinio perspectis, sine umbone repellitur telum modo in castra nostra injectum, quo qualitates seu accidentia realia numero substantiarum subicere satagunt. Quod ut palam videatur, ad redimendum tempus, cum longum sit, omnes inconvenientias hinc exfurgentes, enumerare, breviter hanc ipsis oggerimus argumentationem: *Qui ignorant discrimen inter substantiam & accidens, illi crasse philosophantur; At adversarii Ergo.* Præterea accidentia existere nunquam negamus, sed ea ultimam habere rationem subsistendi, & substantias esse, summo conamine inficias ibimus. Cavendum namque est, ne objectorum numerus, nulla necessitate urgente, augeatur, & ne nimia subtilitate iis substantiam assignemus, quibus subsistere repugnat. Fertur enim unum ex sex Peripateticorum absurdis, accidentia per se subsistere, remoto namque suo subiecto, ut aquæ naturâ remotâ, non ma-

net

nec sola humiditas. Substantiâ lapidis remotâ, non manet sola durities. Omnia igitur quæ hic dicunt, exigua duntaxat veritatis aspergine diluuntur, dum ex iis, tenebras hoc distincti-  
 onis radio dilucimus, discriminando sc. *existentiam*, quæ etiam accidentibus convenit, & *subsistentiam*, quæ substantiis est propria. Nec ullam unquam veritatis speciem vel veri vicem obtinet, quod accidens cum substantiâ eandem habet definitionem. Sunt deinde qui quicquid realitatem habet, corpus dicendum esse reputant, unde Laertius: τὸ σῶμα δ' ἐστὶ καὶ αὐτῆς ἡ ὕστατα.  
 Plutarchus: ἕνθα γὰρ μόνον τὰ σώματα καλεῖσθαι. Hinc non modo DEUM animas, genios, sed qualitates omnes, virtutes, vitia, facultates animæ, artes, affectus in corporum censu reponunt. Cum vero ex præsuppositis cuilibet conspicuum sit, Æthiopem lavare, & omnem operam & oleum perdere illos, qui hujusmodi argumentatione, pro evertendâ accidentium realium indole utuntur. Itaque non opus est, ut contra illos prolixius disputemus.

**I**nfirmis insuper nititur rationibus hypothesis illa, quæ probatum dant, nihil molle, nihil durum, corporaque gravia & levia ad adscensum & descensum esse indifferentia, & nullo interno vel proprio gaudere principio, quo ad motum sursum & deorsum propensa cidentur, sed a materiâ Cœlesti undique ea ambiente, inque omnes eorum poros sese insinuante, quæ totius molis terræ occursum, quo minus secundum lineam rectam, suum motum persequi possit, impeditur, ad motum determinari, versusque centrum suum propelli. Atque in hoc natura gravitatis & levitatis corporum terrestrium consistere autumant. Sed argumentum hoc in primâ quidem fronte aliquid polliceri videtur, penitiori vero mentis trutinâ illud examinanti, nihil solidi in recessu repræsentat. Non agre itaque hujus opinionis satellitibus tribuimus illud, quod ad calcem Principiorum suæ Philosophiæ jure postulat Cartesius, ut nihil admittamus, nisi quod clara ratio persvadet, hoc si facimus, utique totam hanc hypothesis explodemus, manifeste-

nifeste enim constat, quod natura per se & ordinarie non præpedita, nullibi sua jura mutet, semper eadem sui similis infallibili certitudine sua munia obit. Nec unquam leges à summo legislatore latas transfilit, quod probatum ibi lapillus plus millies in ærem projectus cujus indoles nulla avertitudine atrectari potest, ut sua sponte adscendat, si hoc, nempe quod corpora ad gravitationem & levitationem sint indifferencia, admitteretur, multa absurda tam in philosophia, quam in Theologia sequerentur. Undè nullum esset miraculum, vel insolitum, quod ferrum olim innataverit aquis. His itaque errorum nimbis dispulsis, vela contrahere allubescit & sub sereno veritatis phœbo quiescere, dicendo breviter, motum, quo gaudent corpora levia & gravia, ut sursum & deorsum moveantur, planè esse naturalem, qui mediatur ab interno essentiæ principio, immediate à Qualitatibus fluit, Quas reales esse cum id ipsum probet experientia fortissima illa in necandis opinionum monstris magistra, non cauti esset ingenii denegare, quia discentem oportet principiis

eipiis credere. quibus explosis, velut radice eruta, cum trunco corruere quoque cacumen & ramos necesse est,

§. XIV.

**D**escendit jam nostra contemplatio ad virtutum qualitatum intentionaliū ingeniosum scrutinium, quæ à subjecto suo dispersæ, in obvia quævis diffunduntur, subjectumq; vel medium non afficiendo operari faciunt. Has adeo difficilis cognitionis esse dixit non nemo, ut ignorando cognoscantur, & cognoscendo ignorentur. Quivis igitur naturæ speculator à fastu & præjudicio infantia immunis cōqueri non erubescat, impervestigabilia & inaccessa esse naturæ abdita, nullumque laborem in physicis tantum esse, ut dici queat nimius: unde maxima quæ scimus, sunt minima eorū quæ nescimus. Non tamē absterreri nos patiemur ab investigandâ earum naturâ, quatenus instituti nostri ratio permittit. Omnes de iis subtilitates & difficultates excutere, animus cum nobis non est, breviter nos expediemus dicēdo eas substantiam nec corpoream, nec incorpoream esse, sed accidens à corpore productum. Sunt ergo qualitates hæc Entia intentionalia,



pro omni specie spiritali reale ob-  
jectum representante accepta, sive ea sit  
sensilis, sive intellectilis. Sic color in  
arbore realis est, qui vero ab arbore  
in hominis sub arbore jacentis vesti-  
menta spargitur, intentionalis dicitur.  
Sic lumen etiam in mundum inferio-  
rem demissum, tam à qualitatibus E-  
lementaribus quam à luce, quæ post  
creationem in immensa cœli corpora,  
à Mundi Architecto fuit distributa, di-  
versissimæ est naturæ, non secus ac vi-  
riditas apparens à viridate reali: nihil-  
ominus tamen ita Ens reale est, quod  
extra animi nostri operationem, luum  
esse habeat, imo quam aliæ species in-  
tentionales dictæ, officium nobilius ha-  
beat, & non solum ad representatio-  
nem, sed & alias efficaces operationes  
destinatum sit. Quia namque cœlum  
non est conjunctum cum his inferio-  
ribus, credidere multi, influentias ab  
altissimis stellis in hæc inferiora demit-  
ti nullas, nec posse ex iis conjici ali-  
quid, propter effusam cœli pernicitia-  
tem, quæ avolantia sidera à suâ statio-  
ne avocar, & confusa vertigine con-  
vasat. Hæc illi rerum ignari præse-  
ferunt

ferunt. Verum enim vero certum  
est inferiora omnia superioribus sub-  
stare, quamvis sint remotissima &  
diffitissima, mirabili namque conju-  
gio & æternitatis consilio cautum est,  
ut à supremis ad media, à mediis in  
infimas mundi abyssos, abstrusosque  
recessus, virtus tum omnium, tum sin-  
gulorum penetret; ut ex varia confi-  
gurationis constellatione successu tem-  
poris nonnihil variant corpora sub-  
lunaria, & patiantur. Ex Baptista no-  
tum est & Plinio, *oleam, salicem, ti-  
liam, ulmum, solstitium demenstrare,  
frondes obvertere, Et lanugine canescen-  
tes dorsum ostendere, Sentit formica  
siderum vices, interlunio cessat, pleni-  
lunio toris noctibus operatur. Scara-  
bæus pilulam ex stercore humo effossam  
viginti octo diebus obruit, tantisper  
condens, donec ambiat signiferum luna,  
ad interlunium revertitur, scrobem a-  
perit, Et novam sobolem excludit. Plu-  
ra exempla adferre non interest, cum  
satis egregia hæc sint, nec male illu-  
strent corpora cœlestia conjungi cum  
inferioribus mediantibus qualitatibus:  
non secus ac operatio animæ fit inter-  
ventu*

ventu facultatum, quæ sunt accidentia  
ab essentiâ animæ & inter se distincta,  
& sic, ut dictum est, qualitates erunt im-  
mediatum operandi principium.

§. XV.

**I**ngens quoque naturæ Majestas se-  
se pandit, circa qualitates, quas nos  
velimus, respectu nostri in occultas  
& manifestas esse divisas; in quibus in-  
vestigandis veteres plurimum occu-  
patos fuisse ex eorum monumentis  
patet. Quidam manifestas qualita-  
tes in quatuor graduum latitudinem  
distenderunt, ita ut nonnulla essent  
primo gradu calida; alia primo gra-  
du frigida; alia primo gradu sicca;  
alia primo gradu humida; atque hac  
graduum divisione complexos se esse  
universam vegetabilem naturam exi-  
stimarunt. Alii vero, dum videbant  
pauciores esse gradus, quam consti-  
tuta divisio subsistere posset! aut  
naturæ rerum, quæ varietatis maxime  
appetens est, congrueret earum latifun-  
dium complexi sunt, ternaria distribu-  
tione, qualitates manifestas intra tres  
classes ponentes. In prima: quatuor  
primas qualitates Elementorum, in

secunda: gravitatem, levitatem, facultatem rarefaciendi attenuandi, solvendi, digerendi, &c. facultatem adstringendi, obstruendi, molliendi, & indurandi. In tertia: facultatem urinas sciendi, calculos fragendi & vomitum movendi. An vero teale discrimen & specificum inter has qualitates intersit, vel an adcurata & sufficiens computatio sit, nunc non est disceptandum. Illud saltem movebimus, attendendas qualitates manifestas esse, non cæco fastu prætereundas. Non deroganda calori sua potestas, nec sua frigoti. Sensum igitur demittere in iis, quæ per apertas sensuum portas ingrediuntur, & rationem quærere, infirmitas intellectus est. Nam elementa maxime harum qualitatum incunabula immensæ sunt activitatis, ut harum intemperata proportione ad compositionem corporis compositi animantia quævis juxta quosdã intereant. Unde quidam omnia venena cujuscunque generis demum sint, per excessum primam qualitatam agere putant. Verum valdè in hoc hallucinantur. Si enim in solo excessu primarum qualitatam consisteret venenorum actio, & non

& non haberent aliud quidpiam, quod  
miros hujusmodi effectus, produceret, se-  
queretur omnes hujusmodi prodigiosos  
effectus quatuor simplicibus & manife-  
stis qualitatibus adscribi posse, quod ex-  
perientia repugnat, nam non esset ra-  
tio, cur aqua, piper, zingiber, aut vi-  
num sublimatum, similiaque inter ve-  
nena haberi, non queant. Non tamen  
negamus hoc loco, communem Medi-  
corum regulam, quâ *contraria contra-  
riis curanda* percipitur; item morbis ca-  
lidis frigida frigidis calida, siccis humi-  
da, humidis sicca adhibentur. Sed hæc  
vulgo hominum uti nota sunt, ita de  
iis longius differendo, non tempus  
perdemus. Ergo præter calorem &  
frigus, humiditatem & siccitatem, aliis  
qualitatibus opus est, scilicet specificis,  
quibus vehementia illa, quæ in intoxi-  
catis spectantur, symptomata efficien-  
tar. Quæ cum Medicinam potius,  
quam Physicam spectant, Medicis eas  
inquirendas relinquimus.

§. XVI.

**L**ongè est certissimum, nos nunc  
rem difficillimam, de virtutibus oc-  
cultis expedire aggressuros, imo



v̄ero adeo abstrusam, ut citius per-  
scrutari possimus ordinem formatio-  
nis membrorum in utero materno,  
quam hoc propemodum arduum ne-  
gotium evolvere. Interim tamen, cum  
abscondita quæque sint quoque pul-  
cherrima, vehementer cupit animus,  
pauca hanc difficultatem illustrantia,  
ex eorum commentariis adferre, qui  
curioso labore, indefessa opera, experti  
sunt, nostrum intellectum omnibus cau-  
sis singularibusque rebus explicandis val-  
de esse imparem. Unde nec eorum  
temeritatem approbamus, qui omnia  
vane venditant manifesta, quasi nullæ  
darentur potentiaæ naturales absconditæ  
& latentes, quibus res aliquid agunt vel  
patiuntur, cujus causa vera respectu ha-  
betudinis nostri intellectus certo dari  
non potest; nec eorum negligentiam  
laudamus, qui omnia ad occultas quali-  
tates referunt. In multis enim rebus  
Physicis ratio dari potest & debet. Hinc  
ignorantiam suam prodere non tædet  
adversarios, agentes: *quorsum qualita-  
tes, tanquam res a substantia realiter  
distincta, ab Aristotelicis recipiuntur: a-  
lia profecto vario non occurrit, quam ut*  
his

*his larvis suam ignorantiam celent, & quod eos fugit, magnifico vocabulo se intelligere pra se ferunt. Unde, si interrogentur, cur Medicamentae e. g. purgant& illico audies, quia specificam habent qualitatem. Quare magnes-ferrum allicit? aut versus mundi polos obvertitur? quonia occulta qualitate imbuitur. O ter quaterque Philosophos! qui norunt magnetem ad polos mundi dirigi, ignem calidum esse, carbonem atrum, mel dulce, bilem amarum, propter insitas illis qualitates, sed ignotas, & mentis nostrae captum fugientes: Enimvero haec rationum pondera, parvi habenda esse ac majori verborum pompa jactari, quam ut claro veritatis fulgeant radio, certum est. Quid enim aliud tormento hoc largo nugarum & absurditatum, imo & falsitatum efficiunt, adversarii, quam quod capti hoc volandi prolubio & vanae eruditionis fiducia, pennis suis nimis fidant. Quamvis ex hujus vel illius ignorantia ad vires abstrusas non bene, ut paulo ante insinuatum est, concludatur, tamen nimis liberali nobiscum agunt manu, dum eas asylum ignorantiae appellitant, Melius enim est*

hic cum Salomone Eccl. i. 8. confiteri:  
*Cunctas res esse difficiles, nec posse eas hominem explicare sermone, nec satiare oculum visu, nec aurem auditu implere. Impossibile est, dicit insuper Sengverdus, Physices certitudinem in eo fundari scientificam quod illa possibilis sit, homini connexionem causarum cum rebus cognoscendi.* Itaque non dedecet Philolophum imbecillitate intellectus humani actum, ad qualitates latentes confugere, dum rerum arcana naturis & viribus delitescentibus investigari & indagari non possunt. Quis autem nos unquam adeo certos reddet, ut rerum cognitionem convenienter naturæ, certam habeamus. Nam si aliquis rationem & viam, quæ Magnes ille, ingeniorum cos, sese ex polo in polum exporrigat, deinde circa sese activitatis sphaeram fundat, intra quam admissum sympathicum corpus allicit non recte & distincte perceperit, dicat aliquis adversarius, quorsum confugiendum sit, nisi ad causam latentem. [quanquam naturæ arcana referendo planius manifestas conantur reddere qualitates, quæ hactenus fuerunt occultæ, attamen perdunt oleum & ope-

& operam adversarii. Nam cum substantiæ non sint contrariæ, sed omnis pugna in qualitatuum gremio habetur, utique ab earum contrarietate deprehensa, pleno gradu inoffenso pede ad causam contrariam quamvis occultam argumentando ire licet. De origine earundem cum res est, non omnes ad eandem accedunt sententiã, quidam eas à fonte & temperie primarum qualitatuum derivare laborant, sed frustraneo labore: *cum illarum vires, ut scribit Ælianus, l. 9. de animal c. 5. longe sint majores & nobiliores, quam ut ad Elementares qualitates referrì possint.* Nihil autem agit altra vires suæ speciei. Nos itaque cum Sperlingio, aliisque non infimi commatis viris ut omnes alias, ita & has qualitates, ex peculiaribus suis formis specificis, subordinatis, accidentariis, partalibus, genus suum ducere existimamus. Et hinc est, quod quædam certis speciebus, iisque solis & omnibus: quædam certis individuis, & peculiaribus partibus competant. Idem luculenter probant, qualitates, Elementares, suas, actiones non nisi in magna quantitate, & cum aliqua  
mora,

mora, edentes. Occultæ vero in minima mole, & in momento, suas exerunt operationes: ut particula veneni in puncto temporis enecat hominem: necat etiam calor & frigus, sed cum mora. In Æthiopia granum est, cujus subtilissimus meminit Scaliger, Ex. 158. §. ii. cujus decima pars sumpta, hominem intra horæ quadrantem enecat. Concludimus ergo, veneno inesse qualitates, & proprietates ab Elementaribus multo diversas, quæ animos temperatos omnino fugiunt, Curiosisque illudunt. Idem etiam nos de aliis rebus dictum volumus.

Sed hanc de tabulâ,





*Prestantissimo ac Politissimo*

Dn. JOHANNI M. AGRELL

Philosophiæ Studiofo solertissimo, acate  
 materiâ subtili disquirenti Fautori suo  
 & Popolari honore indefinenter  
 prosequendo.

*Σύγχρονα.*

**O** Fautor, pulcri dum profert dogmata  
*pulcra, (quam*  
*Ingenii, quod de vero nec diffidet un-*  
*st cur felici successu laetor amici,*  
*Se facilem votis det vasti Rector Olympi*  
*Voce precor humili, mentem viresque secunda*  
*Sufficiat, demum tardus gravitate senilis*  
*Contingas vite placidam metam Auspice*  
*Christo.*

OLAVUS JUNHOLM  
*Smoland.*

**N**E pigeat doctis animum coluisse camænis  
 Sudasse & lingvis, quæquam juvenilibus  
 (annis

Athletis aliam pandez parnassia rupes  
Scilicet ipsa viam, callem carpentibus altum  
Doctrinæ. Segnis quorum non æmulus exstat  
Iannes Præceptor sollers, pariterque fidelis:  
Ingenii fatus doctrinæ signa remonstrat  
Namq; Theses statuis simul atque sophismata

( Solve

Immotas, Victor sana ratione decorus  
Evadis certe: Tandem tibi Serta faventes  
Musæ contextent cumque illis clara Minerva  
Floribus accumulans pulcris juveniliamembra  
Pectore & ulterius cuncta fervente fovebunt  
Donec transacto cursu feliciter ævi  
Suscipiat tandē in nitidum te Numē olympum  
ita cecinit in gratiam præceptoris

CAROLUS ERLING, Nylandus;

